

iniquitatem vicit, illi iniquitate sua victi sunt. Ille surrexit pro nobis, illi mortui sunt in se.

XII. Hæc ergo malis nocere mihi volentibus : mihi quid? « Anima autem mea exultabit in Domino¹ : » tanquam in eo a quo audierit : « Salus tua ego sum : » tanquam non quærens alias extrinsecus divitias, tanquam non quærens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis; sed conjugem verum gratis amans, non ab illo volens accipere quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens a quo delectetur. Quid enim melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus : amat te Deus. Ecce proposuit, pete quod vis². Si tibi Imperator diceret : Pete quod vis, quos tribunatus comitivasque ructares! Quanta tibi proponeres et accipienda et aliis largienda! Deo tibi dicente : Pete quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exere avaritiam tuam, protende quantum potes, et dilata cupiditatem tuam : non quicumque, sed omnipotens Deus dixit : Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed forte insulas possidebis. Transcende et hæc, pete et ærem quamvis volare non possis : porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille, qui fecit omnia, dixit : Pete quod vis : tamen nihil invenies charius, nihil invenies melius, quam ipsum qui fecit omnia. Ipsum pete qui fecit, et in illo et ab illo habebis omnia quæ fecit. Omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt : sed quid illo pulchrius? Fortia sunt : sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare quam se. Si aliquid inveneris melius, pete. Si aliud petieris, injuriam facies illi, et damnum

¹ Psal. xxxiv, 9. — ² Matth. vii, 7.

tibi, præponendo illi quod fecit, cum velit se ipsum tibi dare qui fecit. In hoc amore dixit illi anima quædam : « Et nunc ipsa est pars mea, Domine, » id est, « Tu es » pars mea¹. » Eligant sibi qui volunt quid possideant, faciant sibi partes de rebus : « Pars mea tu es, te mihi » elegi. » Et iterum : « Dominus pars hæreditatis meæ². » Possideat te, ut possideas illum : eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit, possidetur ut prosit. Numquid ut aliquid ei tu prosis? « Nam dixi Domino : » Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges³. » Anima autem mea exultabit in Domino. Delectabitur » super salutare ejus. » Salutare Dei Christus est. « Quo- » niam viderunt oculi mei salutare tuum⁴. »

XIII. « Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis » tibi⁵? » Quis digne de his verbis aliquid dicat? Ego puto tantum pronuntianda esse, non exponenda. Quid quæris illud aut illud? quid simile Domino tuo? Ipsum habes ante te. « Omnia ossa mea dicent : Domine, quis si- » milis tibi? Narraverunt mihi injusti delectationes, sed » non sicut lex tua, Domine⁶. » Fuerunt persecutores qui dicerent : Adora Saturnum, adora Mercurium. Non colo, inquit, idola. « Domine, quis similis tibi? Illi oculos ha- » bent et non vident, aures habent et non audiunt⁷. Do- » mine, quis similis tibi, » qui fecisti oculum ad videndum, aurem ad audiendum? Sed non colo, inquit, idola, quia faber fecit. Cole arborem et montem : et hoc numquid faber fecit? Et hic : « Domine, quis similis tibi? » Terrena mihi ostenduntur, tu terræ creator es. Et hinc forte advertunt ad superiorem creaturam, et dicunt mihi : « Cole » lunam, cole istum solem, qui luce sua, tanquam magna

¹ Psal. lxxii, 26, et cxviii, 57. — ² Id. xv, 5. — ³ Ibid. 2. — ⁴ Luc. ii, 30. — ⁵ Psal. xxxiv, 10. — ⁶ Id. cxviii, 85. — ⁷ Id. cxiv, II, 5, et cxxxiv, 17.

Lucerna, de cœlo efficit diem. » Et hic plane dico : « Domine, quis similis tibi? » Lunam et stellas tu fecisti, solem diei tu accendisti, cœlum tu composuisti. Sunt multa invisibilia meliora. Sed forte et hic dicitur mihi : Angelos cole, Angelos adora. Et hic dicam : « Domine, quis similis tibi? » Et ipsos Angelos tu creasti. Nihil sunt Angeli, nisi videndo te. Melius est cum ipsis possidere te, quam ipsos adorando cadere a te.

XIV. « Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? » O corpus Christi sancta Ecclesia, omnia ossa tua dicant : « Domine, quis similis tibi? » Et si carnes persecutioni cesserunt, ossa dicant : « Domine, quis similis tibi? » De justis enim dictum est : « Diligit Dominus » omnia ossa eorum, unum ex illis non confringetur¹. » Quam multis justis in persecutione ossa confracta sunt? Postremo : « Justus ex fide vivit², » et Christus justificat impium³. Quomodo autem justificat, nisi credentem et confitentem? « Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem⁴. » Ergo et ille latro, quamvis ex latrocinio ductus ad judicem, et a judice in crucem, tamen in ipsa cruce justificatus est : corde credidit, ore confessus est. Neque enim injusto et non jam justificato diceret Dominus : « Hodie mecum eris in paradiiso⁵ : » et tamen ossa ejus confracta sunt. Nam quando ventum est ut corpora deponerentur causa imminentis sabbati, inventus est Dominus jam exanimis, et non sunt ossa ejus comminuta⁶. Illi autem qui vivebant, ut deponerentur, confracta eis sunt crura, ut hoc dolore mortui possent sepeliri. Numquid unius latronis qui perseveravit impius in cruce, confracta sunt ossa, et non etiam illius qui corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salu-

¹ Psal. xxxiii, 21. — ² Rom. 1, 17. — ³ Id. iv, 5. — ⁴ Id. x, 10. — ⁵ Luc. xxiii, 43. — ⁶ Joan. xix, 33.

tem? Ubi est ergo hoc quod dictum est : « Custodit Dominus minus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur¹; » nisi quia ossa dicuntur in corpore Domini omnes justi, firmi corde, fortes, nullis persecutionibus et tentationibus cedentes ad consentiendum malo? Et unde possent nullis tentationibus cedere, nisi cum persecutores dixerint : Ecce ille Deus, ecce qualis ille Deus : veniat ille, liget tibi : ecce est hic nescio quis in monte magnus sacerdos : forte ideo pauper es, quia non te adjuvat ille Deus, supplica illi, et adjuvat : forte ideo ægrotas, quia illi non supplicas; supplica illi, et convalesces : forte ideo filios non habes, supplica illi, et habebis. Hic vero si in corpore Domini de ossibus est, repellit omnes istas voces, et dicit : « Domine, quis similis tibi? » Da, si vis dare, et in hac vita, quod quæro : si autem non vis, tu esto vita mea, quem semper quæro. Hinc ad te libera fronte exeam, si alium adoravero, et te offendero? Cras forte moriturus sum, qua fronte te videbo? Magna misericordia ipsius, et monuit ut bene vivamus, et diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodie, et vivo : cras non facio. Quid si te non invenit cras? Dic ergo inter ossa Christi : « Domine, quis similis tibi? Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? »

XV. « Eruens inopem de manu fortiorum ejus, egenum » et pauperem a diripientibus eum¹. » Huc usque Psalmus lectus est hodie, huc usque tractandus est : ne in fastidium veniant quæ dicta sunt, dum volumus et alia dicere. Sufficiant ergo hodie hæc : « Eruens inopem de manu fortiorum ejus². » Quis eruens, nisi qui manu fortis est? Ille David eruet inopem de manu fortiorum ejus. Fortior enim fuerat diabolus ad tenendum te, quia

¹ Psal. xxxiii, 21. — ² Id. xxxiv, 10.

ipse vicit cui consensisti. Sed quid fecit manu fortis? Nemo intrat in domum fortis ut vasa ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem¹. Potestate sua sacratissima, magnificentissima, alligavit diabolum, effundendo frameam ad concludendum eum, ut eruat inopem et egenum, cui non erat adjutor². Quis enim adjutor tibi, nisi Dominus cui dicis: « Domine, adjutor meus et redemptor meus³? » Si de tuis viribus præsumere volueris, inde cades unde præsumperis: si de alterius, dominari vult, non subvenire. Ille ergo unus quærendus est, qui et redemit, et liberos fecit, et sanguinem suum ut eos emeret dedit, et servos suos fratres fecit.

ENARRATIO II

IN EUMDEM PSALMUM XXXIV.

SERMO II⁴.

De reliqua parte Psalmi.

I. Ad reliqua Psalmi intendamus animum, Dominumque et Deum nostrum, et de sanitate intelligendi, et de fructu bene agendi deprecemur. Quo usque hesterno die disputatum sit, credo meminisse Charitatem Vestram: ex ipso loco hodie sumamus exordium. Intelligimus enim hic vocem Christi; vocem scilicet capitis et corporis Christi. Christum cum audis, noli sponsum a sponsa separare, et intellige magnum illud sacramentum: « Erunt duo in

¹ Matth. xii, 29. — ² Psal. lxxi, 12. — ³ Id. xviii, 15. — ⁴ Habitus die proximo post superiorem Sermonem.

» carne una¹. » Si duo in carne una, quare non et in voce una? Non enim tentationes caput hic pertulit, et corpus non perfert: aut vero fuit causa patiendi capiti, nisi ut corpori præberet exemplum. Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate: ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio; ut quando talia forte perpetimur, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoniti dicamus nobis: Si ille, quid nos? Et quemadmodum ille, ita et nos. Quantumlibet enim sævierit inimicus, usque ad mortem corporis accedere potuit: quod corpus nec ipsum extinguere potuit in Domino, quia tertio die resurrexit. Quod in illo factum est die tertio, hoc in nostro in fine sæculi. Spes resurrectionis nostræ differtur, numquid aufertur? Cognoscamus hic ergo voces Christi, charissimi, et separemus eas a vocibus impiorum. Voces sunt enim corporis persecutionem angustiasque et tentationes in hoc sæculo patientis. Sed quoniam multi hic patiuntur, et pro peccatis et pro sceleribus suis; magna vigilantia discernenda est causa, non poena. Sceleratus enim potest habere Martyris similem poenam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce², unus Salvator, alius salvandus, alius damnandus: omnium par poena, sed impar causa.

II. Dicat ergo caput nostrum: « Insurgentes testes ini- » qui, quæ ignorabam interrogabant me. » Nos autem dicamus capiti nostro: Domine quid ignorabas? Ita-ne tu aliquid ignorabas? Nonne et interrogantium corda noveras? nonne eorum dolos ante prospexeras? nonne in eorum manus te sciens dederas? nonne ut ab eis patereris veneras? Quid ergo ignorabas? Ignorabat peccatum: et hoc peccatum ignorabat, non quasi non judicando, sed non committendo. Sunt hujusmodi locutiones etiam quo-

¹ Gen. ii, 24, et Ephes. v, 31. — ² Luc. xxiii, 33.

tidianæ, cum dicis de aliquo : Non novit stare, hoc est, quia non stat : et, Non novit benefacere, quia non benefacit. Non novit malefacere, quia non malefacit. Quod alienum est ab opere, alienum est a conscientia : quod alienum est a conscientia, alienum videtur et a scientia. Ita dicitur Deus nescire, quomodo ars non novit vitia ; et tamen per artem cognita dijudicantur. Hoc ergo nobis caput nostrum interrogantibus ex ipsius Evangelii sui veritate respondet, cum dixerimus : Domine, quid ignorabas ? quid tu potuisti interrogari quod nesciebas ? Respondet : Iniquitates ignorabam, de iniquitatibus interrogabar. Habes in Evangelio, si non me credis ignorare iniquitates, quia et ipsos iniquos ignoro, quibus in fine dicturus sum : « Non novi vos, recedite a me qui operamini iniquitatem¹. » Numquid non noverat quos damnabat ; aut potest juste damnare, nisi bonus cognitor ? Et tamen bonus cognitor non est mentitus, dicendo : « Non novi vos : » id est, non coaptamini corpori meo, non hæretis regulis meis : vitia estis ; ego autem ars ipsa sum quæ non habet vitium ; et in qua quisque nos discit nisi non facere vitium. « Insurgentes testes iniqui, quæ ignorabam » interrogabant me. » Quid sic ignorabat Christus, quam blasphemare ? Hinc interrogabatur a persecutoribus, et quia verum dixit, blasphemasse judicatus est². Sed a quibus ? De quibus sequitur : « Retribuebant mihi mala pro » bonis et sterilitatem animæ meæ³. » Ego attuli fœcunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem : ego vitam, ipsi mortem : ego honorem, ipsi contumelias : ego medicinam, ipsi vulnera : et in his omnibus quæ retribuebant, utique sterilitas erat. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum cum quæreret non invenit⁴. Folia erant, et fruc-

¹ Matth. vii, 23. — ² Id. xxvi, 65. — ³ Psal. xxxiv, 12. — ⁴ Matth. xxi, 19.

tus non erant : verba erant, et facta non erant. Vide in verbis numerositatem, et in factis sterilitatem : « Qui » prædicas non furandum, furaris ; qui dicis non adulterandum, adulteras¹. » Tales erant, qui Christum quæ ignorabat interrogabant.

III. « Ego autem cum mihi molesti essent, induebam » me cilicio : et humiliabam in jejunio animam meam : » et oratio mea in sinum meum convertetur². » Docemur, quidem, fratres, quia pertinemus ad corpus Christi, quia sumus membra Christi³ : et admonemur in omni tribulatione nostra, non cogitare quemadmodum respondeamus inimicis, sed quemadmodum orando Deum propitiemus, et maxime ne tentatione vincamur ; deinde, ut etiam illi qui nos persequuntur, ad sanitatem justitiæ convertantur. Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu qui foris est, et ire in interiora mentis secretaria⁴ ; ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem et subvenientem ; illius cubiculi adversus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare se ipsum in confessione peccati, magnificare et laudare Deum, et corripientem et consolantem : prorsus hoc omni modo tenendum est. Verumtamen in corpore hoc dixerimus, id est, in nobis : in Domino autem nostro Jesu Christo quid tale agnoscimus ? Evangelio perspecto et diligentissime perscrutato non invenimus Dominum in aliqua passione et tribulatione sua induisse se cilicio. Jejunasse quidem eum legimus postquam baptizatus est : cilicium ibi nullum audivimus, nullum legimus : jejunasse autem nondum Judæis persecutoribus, sed diabolo tentante⁵. Non eo tempore dico jejunasse Dominum, quando eum interrogabant quæ ig-

¹ Rom. 11, 21, 22. — ² Psal. xxxiv, 13. — ³ 1 Cor. xii, 27. — ⁴ Matth. vi, 6. — ⁵ Id. iv, 1.

norabat, et quando retribuiebant mala pro bonis, insecundo, persequendo, tenendo, flagellando, vulnerando, occidendo: sed tamen in his omnibus, fratres, si aliquantulum pia curiositate levemus velum, et interiora hujus Scripturæ oculo cordis intento rimemur, invenimus et hoc fecisse Dominum. Cilicium fortasse appellat carnis suæ mortalitatem. Quare cilicium? Propter similitudinem carnis peccati. Apostolus enim dicit: « Misit Deus Filium » suum in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnatum ret peccatum in carne¹: » hoc est, Filium suum induit cilicio ut de cilicio damnaret hoedos. Non quia peccatum erat, non dico in Verbo Dei, sed nec in ipsa quidem dico anima sancta et mente hominis, quem sibi ad unitatem personæ Verbum Dei et Sapiencia coaptaverat; sed nec in ipso corpore peccatum ullum erat, sed similitudo carnis peccati erat in Domino; quia mors non est nisi de peccato², et utique corpus illud mortale erat. Nam nisi mortale esset, non moreretur; si non moreretur, non resurgeret; si non resurgeret, exemplum vitæ æternæ nobis non demonstraret. Ergo sic dicitur mors peccatum, quæ facta est peccato, quomodo dicitur lingua græca, lingua latina, non ipsum membrum carnis, sed quod fit per membrum carnis. Nam lingua in membris nostris unum est de cæteris, sicut oculi, nasus, aures, et cætera: lingua autem græca, verba græca sunt; non quia verba lingua, sed quia verba per linguam. Dicis de aliquo: Agnovi faciem ipsius, de membro corporis loquens: et dicis etiam: Agnovi manum ipsius absentis, non manum in corpore, sed scripturam quæ facta est per manum quæ erat in corpore. Sic ergo peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit, de massa ipsa quæ mortem meruerat ex peccato. Etenim ut celerius dicam, Maria ex Adam

¹ Rom. viii, 3. — ² Rom. v, 12.

mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Hoc cilicio se induit Dominus: et ideo non erat agnitus, quia sub cilicio latitabat. « Cum mihi, inquit, » molesti essent, induebam me cilicio: » id est, illi sæviebant, ego latebam. Si enim latere nollet, nec mori posset; quandoquidem uno temporis puncto stillam quamdam potestatis suæ, si vel stilla dicenda est, exeruit, quando eum tenere voluerunt, et ad unam ejus interrogationem: « Quem quæritis? redierunt omnes retro et » ceciderunt¹. » Tantam potestatem in passione non humiliaret, nisi sub cilicio lateret.

IV. Ergo « Induebam me cilicio: et humiliabam in » jejuniis animam meam. » Iterum si intelleximus cilicium, quomodo intelligimus jejunium? Manducare volebat Christus, quando poma quærebat in arbore, et si inveniret manducaret²? Bibere volebat Christus quando dixit mulieri Samaritanæ: « Da mihi bibere³, » dixit in cruce: « Sitio⁴? » Quid esurivit, quid sitivit Christus, nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus et persequentibus, quia nulla bona opera invenerat, jejunabat: retribuiebant enim sterilitatem animæ ipsius. Nam quale jejunium ipsius fuit, qui vix invenit unum latronem, quem in cruce gustaret⁵? Apostoli enim fugerant, et se in turba absconderant⁶. Et ille Petrus qui se usque ad mortem Domini perseveraturum esse promiserat, jam ter negaverat, jam fleverat⁷, et adhuc in turba latebat, adhuc timebat ne agnosceretur. Postremo illo viso mortuo, omnes de salute ipsa desperaverunt: quos desperantes invenit post resurrectionem, et locutus cum eis invenit eos dolentes et lugentes, nihil jam sperantes. Nam et ita sunt

¹ Joan. xviii, 4-6. — ² Matth. xxi, 19. — ³ Joan. iv, 5. — ⁴ Id. xix, 28. — ⁵ Luc. xxiii, 40. — ⁶ Matth. xxvi, 69. — ⁷ Joan. xiii, 37.